

seminariis egressi iam estis, sive in illis adhuc erudimini, sive postea ad ea vos conferetis. Hortamur igitur ut cum caeterorum Dei in vos beneficiorum memoriam sanctissime retineatis, tum hoc praesertim nomine eius bonitati gratias agendas putetis, quod vos gravissimis periculis erectos tutissime in statione collocavit, quodque magnis sumptibus, laboribus, vigiliis, patientia eruditos, ad gloriosissimum omnique estimatione mains sanctae Ecclesiae operariorum munus vocavit. Qua quidem cogitatione incensi et tum optimis institutis assuefacti, tum doctrinae sinceritate exulti, debetis non solum vos ipsos ab omni labe puros integrosque servare, sed aliis etiam prodesse contendere, parati semper de ea, quae in vobis est, fide rationem reddere, et eos qui contradicunt arguere, sanguinem quoque ipsum, si ita res ferat, pro Christi gloria atque animarum salute profundere, quod multi recenti memoria ex optimis collegiis profecti gloriosissime praestiterunt. Horum fidem, fortitudinem, caritatem semper ad imitandum propositam habere debetis; contra vero paucorum aliquot vicem miserari, consilium detestari, exitum perhorrescere, qui, cum in seminariis fidelem Deo sanctae que eius Ecclesiae operam polliciti essent, inde egressi, sese inertiae terrenisque cupiditatibus dediderunt, caeterisque ea facultate, quam Sedis Apostolicae beneficio adepti essent, prodesse recusantes, respexerunt in vanitates et insanias falsas sieque maxima de spe deciderunt. Ab horum igitur stultitia et miseria vos abhorrere persuasum habemus; quos vero vitae integritas, doctrinae sinceritas, voluntatis zelus commendabit, iis nulla unquam deerunt a nobis paternae caritatis officia. Quia vero omnes hominum rationes recteque agenti conatus, a divina gratia destituti, irriti plane sunt, ut vos ipsos (quoad homini datum est) hoc praesidio dignos reddatis, cupimus atque hortamur ut per aliquot dies (si ita visum fuerit praefectis vestris) vos colligatis attentissimeque cogitetis, quem ad finem a Deo conditi sitis, quantam ad spem vocati, cur tam diligenter cura et studio optimis disciplinis et moribus eruditmini, quam multis ad pietatem adiumentis abundetis, quam paucis haec ipsa praesidia contingant, quam turpe atque exitiosum esset tam multis divinae in vos caritatis beneficiis non omni conata respondere summa cum animi demissione et gratiarum actione, quam denique indignum et miserum non vos totos Deo consecrare Sanctoque Spiritui, cuius certe in hac meditatione exardescet ignis, in perpetuum incendendos tradere. Ea vero hebdomada, quam praefecti vestri designabunt, aut certe si quid per eos dies impedimenti acciderit, proxima hebdomada tribus diebus, quarta scilicet et sexta feria ac sabbato iejunetis factaque sacramentali peccatorum confessione, proximo die dominico sacrosanctam Eucharistiam sumatis. Interea vero pro s. matris Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, catholicorum principum concordia, pace, tranquillitate, salute Deum oretis, eiusdem quoque gratiae praesidium nobis imploretis postuletisque ab eius bonitate, ut dignetur suo sanctissimo spiritu in tam multis tamque gravibus curis infirmitatem nostram adiuvare, operariosque quam plurimos et tanto mysterio dignos in vineam suam mittere. Nos vero vobis praefectisque vestris administrisque omnibus haec implantibus, divina misericordia confisi, plenariam omnium peccatorum indulgentiam elargimur. Qua etiam frui volumus catholica seminaria omnia, sive ab episcopis, sive a principibus saecularibus insti-